



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXI. Vtrum Spiritus sanctus producatnr necessario, an libere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

probant id, quod nos libenter fatemur, scilicet actum voluntatis, quo pater vult generare & spirare, non esse priorem ipsa generatione & spiratione. Superest tamen, ut quaedam dicta Sanctorum interpretemur, qui videntur non solum concedere voluntatem ut priorem actibus notionibus, sed etiam tanquam principium illorum.

CAPVT. IV.

Quomodo Patres de hac re locuti fuerint.

EX Patribus autem Hilar. videtur docere, esse in Deo voluntatem generandi ut principium generationis, libro enim de synod. in defensionibus professionum Catholicarum contra Photinum, definit. 25. inquit, si quis nolente Patre natum dicat filium, anathema sit non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus genuit filium, sed max. ut voluntate. Verum hæc definitio nullius est momenti. Est enim Concilij Syriensis, quod fuit Arrianum, & in ea, sicut in multis erroribus Actij expressit. Sed inferius idem Hilar. ex synod. Catholica Sardicensi refert hæc verba. Vel quod neque consilio, neque voluntate pater genuit filium, anathematizat sancta & Catholica Ecclesia, scilicet hoc affirmantes. De qua synodo testatur idem Hilarius ibidem brevibus, absolutissimis tamen definitionibus usum fuisse.

Sed Hieron. in illud ad Ephes. Qui predestinavit nos, inquit, De filio vero, hoc est, de Domino nostro Iesu Christo in alio loco scriptum est, quod semper cum fuit, & nunquam eum, ut esset, paternam voluntas præcessit. Ergo definitio illa est intelligenda, ut pater genuerit filium consilio & voluntate, non ut principio, sed comitante secundum durationem, & subsequente secundum rationem, quia scilicet videns se generantem vi naturæ & necessario iudicavit, illi esse summe boni & perfectum, & ei id placuit. Quamvis enim necessitate naturæ, tamen non repugante voluntate genuit. Cum vero Hieron. negat voluntatem præcedentem, loquitur plane, non ut Scholastici de præcedente solum secundum rationem, sed tempore & duratione.

August. quoque lib. 6. q. 7. Orosio interroganti, an Pater genuerit voluntate, respondet, neque voluntate, neque necessitate, hoc est, neque voluntate ut principio. (Intelligit vero non facultatem, sed actum voluntatis) neque coactione. Et lib. 15. de Trinit. c. 20. asserit, sicut Deus, neque voluntate est Deus, neque necessitate, neque est Deus volens neque volens: ita etiam neque voluntate, neque necessitate, neque volens neque volens genuit. Quod eodem modo, ut supra explicandum est.

Ceterum videamus, an modus ille loquendi Concilij Sardicensis, Deus voluntate genuit, sit cōcedendus. Masl. in 1. q. 10. artic. 3. & Gabriel. d. 6. q. 1. dixerunt partem illam, voluntate capi posse dupliciter, aut tanquam adverbium, ut idem sit, quod voluntarie, & sic veram esse propositionem: aut in casu effectivo, & sic esse falsam, eo quod significare videatur principium veluti efficiens. Verum S. Thom. in hoc art. & Scotus in 1. dist. 6. q. 1. art. 2. concedunt hanc propositionem, Deus voluntate genuit filium, sola facta distinctione de voluntate comitanti aut præcedenti in principio; priori modo illam concedunt, posteriori vero negant, & quia potest habere prædictum sensum verum, illam absolute cum Concilio Sardicensi concedunt. Quo autem sensu dixerit Concilium Tolet. 15. secundum Vasquez in 1. p. 10m. 2.

CAPVT. I.

303

essentiam diuinam voluntas genuit voluntatem, explicauimus supra quæst. 39. art. 5.

DISPUTATIO CLXI.

Utrum Spiritus sanctus producatur necessario, an libere.

Henricus censet Spiritum sanctum quodammodo libere, quodammodo naturaliter procedere. cap. 1.

Processionem Spiritus esse necessariam, non tamen liberam, Scotus autem ait. cap. 2.

Spirationem Spiritus sancti non tantum necessariam, sed etiam naturalem, & non liberam dicendam, verior sententia est. cap. 3.

Diluuntur argumenta Scoti cap. 4.

CAPVT. I.

Henricus censet Spiritum sanctum quodammodo libere, quodammodo naturaliter procedere.

Controuersia hæc, cum S. o. saltem, verbo, rum est, non rerum. Ipse namque asserit, Spiritum sanctum ita necessario produci, ut non possit non produci: in modo tamen loquendi, an scilicet dici debeat libera eius productio, cum sit per voluntatem, non eodem modo sentit, atque alij: cum Henrico tamen de re etiam ipsa videtur esse dissensio. Is enim in summa, ut refert Scotus in 1. Scotus, d. 1. q. 1. §. quantum ad primum, & §. quantum ad secundum, & quodlib. 16. artic. 3. asserit, Spiritum sanctum procedere quidem naturaliter naturalitate (ut ipse ait) tantum comitante, & simul procedere libere. Ut autem hanc sententiam nobis exponat, notat, triplicem esse posse actum voluntatis, ut liberum arbitrium est, tendens in aliquod bonum, quod non est summum, & hic actus omnino liber est. Huiusmodi est omnis actus voluntatis, etiam diuinæ circa obiectum quodcumque creatum. Secundus actus est à voluntate in Deum clare visum, & dicitur omnino naturalis, quia à natura ut principio, immutabilis & necessarius est. Tertius actus dici potest naturalis natura tantum comitante: voluntas enim est facultas quædam existens in aliqua natura, & ex ipsa modum quendam naturalem habet comitantem in operationibus. Hoc modo putat, processionem Spiritus sancti esse naturalem. Nam in processione Spiritus S. considerat hic author duplicem respectum operationis, vnum ad Deum clare visum & dilectum, alterum ad Spiritum S. ut amorem productum. Processio enim Spiritus S. non tantum est productio amoris, sed etiam dilectio summi boni, hoc est, bonitatis Dei. Secundum priorem respectum dicit esse actum naturalem à natura ut principio: secundum posterio-rem dicit esse liberum, sed comitante naturalem, propter comitantiam, quam habet libertas voluntatis cum natura. Ex quo colligit, Deum viuere naturaliter necessitate naturæ, & intelligere naturaliter necessitate etiam proueniente ex obiecto: at vero spirare naturaliter propter comitantiam naturæ, quia principio spirandi annexa est natura.

Hanc sententiam refert Scot. locis citatis, duabus rationibus minoris momenti, quas ideo consilio prætermitto: hæc enim unica & facili impugnari potest. Aut enim putat Henricus, naturalitatem (ut ipse loquitur) esse annexam processionem Spiritus S. quia voluntas est in ipsa natura diuina veluti in subiecto, & hoc non obstat, quo minus actus

actus ille naturalis ut à principio, quia natura ipsa media voluntate semper operatur: aut dicit naturalitatem esse annexam tantum actui spirandi, quia quatenus est amor, est necessarius, quatenus vero est productio spiritus non est necessarius, in quod ipse Henricus indicare videtur, & hac ratione sequeretur, ita de facto produci spiritum S. ut posset non product: posset enim ille actus, qui est amor Dei, ita in Deum ferri, ut non esset productio, si quatenus productio est, à nullo principio necessario exit. Sic enim posset Pater & Filius necessario, se diligentes à productione cessare, nec satis esset necessitas dilectionis, prout ad Deum dilectum terminatur, ut eadem quatenus productio ad spiritum S. referretur, nisi ex vi sui principij, etiam ut productio est, necessario exiret.

CAPVT II.

Processionem spiritus esse necessariam, non tamen liberam, Scotus autumat.

Scotus.

Ecce iam cum Scoto de verbis solum contentio est. Ipse enim in 1. d. 10. q. 5. ad secundum dubium, & quolibet. 6. ar. 1. affirmat, processionem spiritus sancti esse necessariam, etiam ex parte principij, ita ut non possit spiritus sanctus non produci; dicendam tamen esse liberam & non naturalem: quia quidem necessariam, breuiter probat; cum quia Deus seipsum necessario diligit, diligendo autem producit amorem; tum etiam, quia spiritus sanctus necessario est Deus, ita ut non possit non esse; quæ enim sunt intra Deum, summe necessaria sunt.

Scotus.

Augustinus.

Ceterum eam debere dici liberam, primo probat Scotus in illo quodlibet 2. ar. 2. in illa q. 1. §. contra idem, circa finem illius, ex sententia Aug. in Enchirid. cap. 105. ubi ait, oportebat prius hominem sic fieri, ut bene velle posset & male: postea vero sic erit, ut male velle non possit, neque ideo libero carbit arbitrio, multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino seruire non poterit peccato, intelligit in beatitudine, ubi non poterit peccare. Subdit, Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, si libera dicenda non est, quia beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolumus, sed nequaquam prorsus velle possumus. Ergo ex sententia Aug. voluntas tunc etiam libera est, quando necessario operatur. Idem docet Ansel. lib. de lib. arbit. cap. 7.

2. probatur.

Secundo, quia voluntas infinita, qualis est Dei, est obiectum infinitum, qualis est amor productus, se habet modo perfectissimo: perfectissimus autem modus est libere & necessario operandi, quia libertas est perfectio voluntatis, ergo spiritus sanctus, qui est amor productus, libere & necessario procedit. Tercio probari potest ex ipso Scoto hoc modo: imperfectissima operatione, qualis est voluntas summi boni, illud, quod est perfectionis, potest esse cum necessitate illius, atque libertas est perfectio operationis, ergo potest esse cum necessitate illius eodem modo in inspiratione spiritus sancti.

Quid nomine liberi intelligat Scotus, & quomodo illud distinguat ab agente naturali.

Ceterum quodlibet 16. art. 2. querenti, quid nomine liberi, quod cum necessario esse possit, intelligat, responderet, eorum, quæ prima sunt non esse reddendam rationem. Nihilominus hoc genus libertatis conatur explicare, atque eius gratia notat in articulo 3. omne agens sufficienter diuidi in agens naturale, & liberum, quia omne agens aut agit per naturalem, in quantum est, aut agit à

proposito per formam apprehensam, hoc est, per intellectum. Ita videtur Arist. de cere. 2. 1. hys. 1. 48. & 9. Metaphysicorum cap. 4. ubi diuidit potentiam agentem in potentiam rationalem, & irrationalem, quasi dicat, in naturalem & liberam. Consonat August. 5. de ciuitate cap. 9. post medium, cum ait, aliam esse causam fortuitam, aliam naturalem, aliam voluntariam. Differt autem (inquit Scotus) agens naturale à libero, quod naturale semper est primum, aut saltem mouetur aliquo agente priori, & non se mouet. Sic enim omnia agentia creata, cum in suos fines determinatis tendunt, dicuntur ab aliqua causa rationi moueri; agens autem voluntarium seipsum mouet, solum proposita forma apprehensa per rationem, ideoque eius modus operandi liber dicitur, & non naturalis. Libertas autem in hoc posita est, ut delectabiliter & eligibiliter (inquit ille) operetur, etiam si necessario: id quod de inspiratione quoque spiritus S. affirmat, & eatione eam liberam appellat.

Ceterum rationem necessarij ex duplici capite inquit provenire in inspiratione spiritus sancti, primum ex parte obiecti, quod summe bonum est, & necessario mouet ad sui amorem: deinde ex parte principij efficientis: & sic inquit, nullam esse necessitatem, quæ præcedat inspirationem ex parte principij, sed quæ solum comitetur inspirationem. In quo cum Henrico ex parte videtur contentio, quia si necessitas aliqua ex parte principij præcederet, voluntas in inspiratione non ageret, sed geretur.

Verum enimvero, ut ea, quæ Scotus docet in sua sententia de libertate actus inspirationis, & quæ in capite impugnanda relinquantur, id quod de necessitate actus spirandi aliter, obiectum est hac ratione. Quænammodum obiectum ipsum ita determinat voluntatem ad inspirandum, ut non possit non spirare, quia est summe bonum, quod ad sui amorem non potest non mouere. Sic etiam ipsa facultas voluntatis, quatenus talis est, ex sua natura virtute per se ita determinatur ad diligendum summum bonum clare rationem, ut non possit non amare; cumque in patre & filio amando spiraret, non potest non spirare: ergo necessitas operandi ex parte principij non comitatur, sed antecedentior & directe ad inspirationem se habet: neque ex hoc sequitur, quod Scotus tangebatur voluntatem videlicet non moueri à se, quoniam hæc necessitas nihil aliud sit, quam ipsa virtus voluntatis: etiam si necessario mouetur, à se ipsa mouebitur.

CAPVT III.

Inpirationem spiritus sancti non tantum necessariam, sed etiam naturalem & non liberam dicendam esse, verior sententia est.

Comunis & verior sententia Scholasticorum est, inspirationem spiritus sancti non tantum necessariam esse necessitate ex parte principij concurrente, sed etiam naturalem, & liberam dicendam esse. Sic docuerunt S. Thomas in 1. 2. ar. 3. cum ait, spiritum sanctum procedere per voluntatem, non ut voluntas, sed ut natura est, & cum eo Caiet. & recentiores in hunc art. Cuius 2. par. 1. comment. Greg. in 1. d. 10. q. 1. art. 2. Caput 1. q. 1. 1. conclus. 5. & in art. 2. in solutionibus argumentationum, in 1. 2. par. 1. conclus. 5. & in art. 2. in solutionibus argumentationum, in 1. 2. par. 1. conclus. 5. & in art. 2. in solutionibus argumentationum, in 1. 2. par. 1. conclus. 5.

tra eandem, & d. 10. q. 1. art. 1. conclus. 2. & 3. tametsi concedat processionem Spiritus sancti quodammodo dici liberam libertate à coactione, quod non inficiamur; sicut etiam dixit S. Thom. q. 10. de potentia ar. 2. ad 5. ob id tamen absolute non est dicenda libera: communiter enim liberum dicitur, quod est indifferens ad utrumvis. Et sane licet processio Spiritus sancti libera dici possit, quia à coactione libera est; negari nullo modo potest, esse naturalem: quia naturale, & liberum à coactione, non pugnant, imo conueniunt, ut ex infra dicendis patebit.

Hæc sententia confirmatur primum refutatione opinionis præcedentis; deinde explicatur. Ceteris hac ratione vitur: Liberum, & naturale non sunt differentia potentiarum, sed eidem facultati conuenire possunt, nam differentia facultatum non sumuntur ex vario modo operandi ipsarum circa idem obiectum, sed ex diuersitate obiecti primarij: namque in intellectu reperiuntur duplex modus operandi, sine discursu videlicet, & cum illo in voluntate similiter duplex est, alter cum electione & consultatione, alter sine illa: ergo in eadem potentia potest esse modus operandi naturaliter, & libere, ita ut naturalis sit, qui est necessarius aliquo modo, liber autem, qui est cum indifferencia.

Verum Scotus non negat, eidem potentie posse conuenire diuersum modum operandi: ipse enim concedit in voluntate necessarium modum, & indifferenter, præsertim in diuina: sed asserit, modum operandi necessarium dici etiam liberum, & non esse appellandum naturalem; non quia non sit necessarius, sed quia est à principio cognitionis. Quare alio modo contra ipsum probandum est spiritum Spiritus S. non posse dici liberam, si necessarius est, ut ipse facit: id quod hac ratione deduci potest.

Aut spiritus dicitur libera, quia est sine coactione, & cum delectatione; & hoc modo actiones quoque agentium naturalium, quia sine coactione sunt, dicendæ essent libere, aut saltem operationes brutorum & appetitus animalis, quia etiam cum delectatione sunt, quod est absurdum: aut dicitur libera, quia indifferens est ad utramque partem contradictionis, ut possit esse, & non esse: vel contrarietatis, ut possit velle hoc, & oppositum: & hoc modo dici non potest libera, quia hic modus libertatis idem est, quod modus contingentie, qui opponitur necessario: aut denique tertio libera dicenda est voluntas in omni sua operatione, ut reuera contendit Scot. quia à suo principio interno determinatur ad actum ex cognitione & forma apprehensa, hoc autem, præterquam quod absque fundamento dicitur, & aperte falsum; nam & bruta agunt per formam apprehensam, & tamen non dicuntur libere operari, quia necessario agunt.

Cum v. Arist. 2. Phys. text. illo 48. diuidit agens aliud secundum naturam, aliud à proposito, existimat illud esse à proposito, quod ex consultatione indifferenter ad utramque partem operatur. Et cum lib. 4. Metaph. c. 4. definit potentiam irrationalem quam distinxerat à rationali, ita ait, Necessesse est quando actum appropinquatur, hoc idem agere, illud vero pati: ergo si nomine irrationalis potentie, intelligit naturalem, aliquando etiam conuenit voluntari, quia aliquando applicato obiecto.

Yaquez. in 1. parte Tom. 2.

et non potest non operari, id quod in diuina saltem voluntate Scot. concedit. Ideo a. sic definit Arist. potentias irrationales, quia nullam actum in voluntate ipse cognouit necessarium quoad exercitium: neque enim cognouit amorem summi boni clare vili in patria, in quod solum voluntas hoc modo necessario tendit, & ita rationalem facultatem esse putauit eam, quæ ad utrumvis operari potest ex electione. Demum Aug. lib. illo 5. de ciuit. Dei cap. 9. ideo distinguit causam naturalem à voluntaria, quia naturalis habet solum modum operandi naturæ cum determinatione, & necessitate ad vnam partem; voluntaria autem etiam si aliquando naturaliter operetur, tamen operari potest indifferenter, quod communiter solet appellari voluntarie.

Explicatur deinde sententia S. Thom. ex analogia ad agentia per naturam, quæ naturalia dicuntur, quia solum vno modo naturali operantur: modus enim proprius agendi naturæ est necessarius, & quasi alligatus ad vnam partem: ergo cum voluntas hoc modo operatur cum aliqua determinatione, recte dicitur operari naturaliter, aut operari ut natura: contra vero, cum proprium sit rationalis agentis indifferenter ad hanc vel illam partem operari propter indifferenciam rationis, tunc operatur ut voluntas, cum ad utrumvis operatur: cumque liberum opponatur alligato, & natura sic quasi alligata ad operationem, quia ad vnam partem necessario determinata est, ideo liberum recte, & communiter dicitur, quod indifferens est, dicitur & tunc voluntas operari libere, cum operatur indifferenter ut voluntas; tunc a. naturaliter, cum operatur ut natura. Sic definitur libertatem Hier. epist. ad Damas. de fil. prod. quæ est 146. Aug. 3. de lib. arb. c. 3. Damas. lib. 1. de fide c. 28. S. Thom. de veritate. q. 22. art. 6. q. 23. ar. 1.

Hinc recte intulit S. Doctor 1.2. qu. 16. art. 1. ea appeti à voluntate naturaliter, quæ necessario appetuntur. Quare cum aliqua appetat voluntas ita necessario, ut ea odisse non valeat, licet non amare possit, quæ dicitur necessitas quo ad specificationem, hæc etiam dicitur amare naturaliter. Huiusmodi sunt vita, sensus, & scientia. Quæ ratione videtur Arist. dixisse 1. metaph. cap. 1. Omnis homo naturaliter scire desiderat, de quo & de appetitu videndi Deum, qui hac ratione dicitur naturalis, plura dicemus in 12. qu. d. art. 8. multo melius dicitur voluntas naturaliter operari, quæ ita necessario operatur, ut non possit non operari, quæ necessitas dicitur quoad exercitium: cumque Spiritus S. hoc modo spiraret, eius spiratio ex omni parte dicenda est naturalis, quia est à voluntate ut natura.

Esse autem dicendam quandam voluntatem naturalem, quandam vero liberam, docuit Niceas lib. 3. Theauri fidei cap. 9. his verbis, Naturalis voluntas hominis, ut sancti Basilus & Cyrillus authores sunt, est vita amor: omni enim homini vita & lucis fructio cara est. Ecce hæc est communis voluntas. Gnomice porro, seu scientes voluntates in nostra natura multe sunt: alius enim homo priusquam secum agere vult, alius edificare, &c. Vbi per naturalem voluntatem quæ omnibus inest circa vitam, intelligit necessariam salutem quoad specificationem; alioquin non omnibus inisset: per gnomicam v. intelligit, quæ nascitur ex gnomi, hoc est, sententia & consultatione circa alias res, quæ ex se & amari possunt, &

Nicetas.

odio haberi: & ideo circa illas versatur consultatio, & ita hanc voluntatem gnomiam spontaneam, seu spontaneam vocat ipse Nicetas eodem capite liberam voluntatem.

Porro, cum ait S. Tho. & Capre. locis citatis, Spiritum sanctum procedere naturaliter non per modum naturæ, sed per modum voluntatis, per modum naturæ intelligunt eum, qui est de ratione generationis, in similitudinem nempe naturæ, de quo disp. 113. dictum est, non autem modum determinationis ad unam partem, per modum autem voluntatis non intelligunt liberum & indifferentem, qui solet dici proprius voluntatis, sed modum, qui non est in similitudinem naturæ, ob quem processio per voluntatem non est generatio: alioqui in paucis verbis sibi adhaeretur. Denique cum dixit idem sanctus Doctor supra q. 27. artic. ult. processionem non esse à natura, sed à voluntate, non excludit modum operandi naturaliter, sed dicere solum voluit, non esse proxime à substantia & natura Dei, sed media facultate voluntatis: id quod intelligendum est, prout à nobis concipitur: nam re ipsa cum idem fiat voluntas & natura Dei, proxime ab ipsa natura procedit.

CAPVT IV.

Diluuntur argumenta Scoti.

Ad primum
Scoti ex
Aug.

BReuiter dissolui possunt omnia, quæ pro sententia Scoti attulimus cap. 3. Ad primum desumptum ex Aug. in Enchiridio cap. 105. Respondeo, ideo dici ab Aug. tunc futurum magis liberum nostrum arbitrium, cum peccare non possit, quia ultra libertatem indifferentiæ, quam habebit circa bonum particulare, liberum erit à seruitute peccati: non ergo quia magis indifferens, sed quia à peccato liberum erit, magis liberum appellat. Iam autem monuimus c. 3. prope initium, non dici operationem liberam absolute, quia sit libera à coactione, adde etiam, vel à seruitute peccati: sed sit indifferens. Hic autem dicitur ab Aug. arbitrium magis liberum, cum peccare non potest, quia iam ipse videtur explicare, de quo genere libertatis loquatur. Accedit, quod, licet hunc modum operandi appellemus liberum, & ita possemus inspirationem Spiritus sancti vocare liberam, tamen naturalis dicenda esset; naturalis enim semper dicitur ex modo illo operandi necessario, qui proprius naturæ est. Quinimo Aug. statim subiungit, Aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qui beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum volumus sed nequaquam prius velle possumus: Ergo concedit non esse liberam illam voluntatem, intelligit autem libertatem indifferentiæ, tamen si solum sit quoad specificationem iuxta ea, quæ diximus cap. præced.

Ad secundum.

Ad secundum respondeo, modum perfectissimum operandi esse quidem naturalem, & liberum simul in eadem potentia; non in eadem operatione, si enim pugnant, ut constat ex dictis esse autem in eodem agente, perfectissimum est. Ad tertium eodem modo dico, perfectionem illam libertatis non posse esse in quavis operatione, & circa quoduis obiectum: sumimus enim libertatem pro indifferentia. In quo sensu etiam ipse Scotus diceret in eodem actu non posse reperiri. Quinimo, si hoc modo in processione Spiritus S. reperiretur, maximæ esset imperfectionis, quia

ARTIC. III.

Spiritus sanctus esset creatura. Alio modo non posse dici liberum in voluntate, nisi addita inspiratione, vel saltem illud simul dici posse naturam, iam supra probatum est. Ita igitur loqui debemus de inspiratione, ut saltem naturalem esse nullo modo negemus.

ARTICVLVS III.

Vtrum actus notionales sint de aliquo.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod actus notionales non sint de aliquo. Quia sic pater generat filium de aliquo aut de inspiratione, aut de aliquo alio. Si de aliquo alio, cum id de quo aliquid generatur, sit in eo quod generatur, sequitur, quod aliquid alienum à Patre sit in filio. Quod est contra Hilar. 7. Trinit. ubi dicitur Nihil in filio diuersum est vel alienum. Si autem filius generat Pater de seipso, id autem de quo aliquid generatur, si sit permanens, recipit eius prædicationem quod generatur: si cut dicimus quod homo est albus, quia homo permanet cum deo alio sit albus. Sequitur igitur quod pater vel non permaneat genito filio, vel quod Pater sit Filius quod est falsum. Non ergo Pater generat Filium de aliquo, sed nihilo.

2. Præterea. Id de quo aliquid generatur, est principium eius quod generatur: si ergo Pater generat Filium de essentia vel natura sua, sequitur quod essentia vel natura Patris sit principium filij: sed non principium materiale, quia materia hoc in diuinis non habet. Ergo est principium quasi actiuum, sicut generans est principium geniti. Et ita sequitur, quod essentia generet. Quod supra improbatum est.

3. Præterea. Aug. dicit, quod tres personæ non sunt ex eadem essentia: quia non est aliud essentia & persona. Sed persona filij non est aliud ab essentia. Ergo Filius non est de essentia Patris.

4. Præterea. Omnis creatura est ex nihilo: sed Filius in scripturis dicitur creatura. Dicitur enim Ecclesiast. 24. ex ore sapientiæ genitæ. Ergo ex ore Altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam. Et postea ex ore eiusdem sapientiæ dicitur; Ab initio & ante sæcula creatus sum. Ergo Filius non est genitus ex aliquo, sed ex nihilo. Et similiter potest obijci de Spiritu sancto propter hoc quod dicit Zachar. 1. Dixit Dominus extendens scellum, & fundans terram, & creans spiritum hominis in eo. Et Amos 4. secundum etiam litteram; Ego formans montes, & creans spiritum.

Sed contra est quod Aug. dicit in libro de

*Cap. 1. circa
fin. 14. 30.*
bro de fide ad Pet. Pater Deus solus de
sua natura, sine initio genuit Filium sibi
æqualem.

*2. 17. art. 2.
2. 33. art. 1.
1. 2. 3.*
Respondeo dicendum, quod filius non
est genitus de nihilo, sed de substantia
patris. Ostensum est enim supra, quod pa-
ternitas & filiatio & natiuitas vere & p-
proprie est in diuinis. Hoc autem interest
inter generationem veram per quam ali-
quis procedit ut filius: & factionem, quod
facies facit aliquid de exteriori materia,
sicut scammum facit artifex de ligno: ho-
mo autem generat filium de seipso. Sicut
autem artifex creatus facit aliquid ex
materia, ita Deus facit ex nihilo (ut infra
ostenderetur) non quod nihil cedat in
substantiam rei, sed quia ab ipso tota sub-
stantia rei producit, nullo alio præsup-
posito. Si ergo filius procederet à patre
de nihilo existens, hoc modo se haberet
ad patrem, ut artificiatum ad artificem;
quod manifestum est nomen filiationis
proprie habere non posse, sed solum se-
cundum aliquam similitudinem. Vnde
relinquitur quod si filius Dei procederet
à patre, quasi existens ex nihilo, non esset
vere, & proprie filius. Cuius contrarium
dicitur 1. Ioan. ult. Vt sumus in vero filio
eius Iesu Christo. Filius igitur Dei verus
non est ex nihilo, nec factus, sed tantum
genitus. Si qui autem ex nihilo à Deo fa-
cti filij Dei dicantur, hoc erit metaphori-
ce secundum aliqualem assimilationem
ad eum qui vere filius est. Vnde in quan-
tum solus est verus & naturalis Dei filius,
dicitur vnigenitus, secundum illud Ioan. 1.
Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse e-
narravit. Inquit autem vero per assimilatio-
nem ad ipsum alij dicuntur filij adoptiui,
quasi metaphoricè dicitur esse primoge-
nitus, secundum illud Roman. 8. Quos
præciuit & prædestinauit fieri confor-
mes imaginis filij sui, ut sit ipse primoge-
nitus in multis fratribus. Relinquitur er-
go quod Dei filius sit genitus de substan-
tia patris; aliter tamen quam filius homi-
nis. Pars enim substantiæ hominis gene-
rantis transit in substantiam geniti. Sed
diuina natura impartibilis est. Vnde ne-
cesse est quod pater generando filium,
non patrem naturæ in ipsum transfude-
rit, sed totam naturam ei communicauerit,
remanente distinctione solum secun-
dum originem, ut ex dictis patet.

Ad primum ergo dicendum, quod
cum filius dicitur natus de patre, hæc
præpositio, de, significat principium ge-
nerans consubstantialis, non autem prin-
cipium materiale. Quod enim produci-
tur de materia, sit per transmutationem

illius, de quo producit in aliquam for-
mam. Diuina autem essentia non est
transmutabilis, neque alterius formæ
susceptiua.

Ad secundum dicendum, quod cum
dicitur filius genitus de essentia patris, se-
cundum expositionem Magi. d. 1. Sen-
tentiam designat habitudinem principij
quasi adiuui. Vbi sic exponit. Filius est ge-
nitus de essentia patris, id est, de patre es-
sentia: propter hoc quod Aug. 15. de libr.
de Trinitate dicit; Tale est quod dico de
Patre essentia, ac si expressius dicerem de
patris essentia: Sed hoc non videtur suffi-
cere ad sensum huiusmodi locutionis.
Possumus enim dicere, quod creatura est
ex Deo essentia: non tamen quod sit ex
essentia Dei. Vnde aliter dici potest quod
hæc præpositio, de, semper denotat con-
substantialitatem. Vnde non dicimus
quod domus sit de ædificatore, cum non
sit causa consubstantialis. Possumus au-
tem dicere quod aliquid sit de aliquo,
quocumque modo illud significetur ut
principium consubstantialis. siue illud sit
principium adiuui, sicut filius dicitur
esse de patre: siue sit principium materia-
le, sicut cultellus dicitur esse de ferro: siue
sit principium formale in his dumtaxat,
in quibus ipsæ formæ sunt subsistentes &
non aduenientes alteri: possumus enim
dicere quod Angelus aliquis est de natu-
ræ intellectuali. Et per hunc modum dici-
mus, quod filius est genitus de essentia
Patris, in quantum essentia Patris Filio per
generationem communicatur, in eo sub-
sistit.

Ad tertium dicendum, quod cum dici-
tur, Filius est genitus de essentia Patris,
additur aliquid respectu cuius potest sal-
uari distinctio. Sed cum dicitur, quod tres
personæ sunt de essentia diuina, non po-
nitur aliquid, respectu cuius possit impor-
tari distinctio per præpositionem signifi-
cata. Et ideo non est simile.

Ad quartum dicendum, quod cum di-
citur, sapientia est creata, potest intelli-
gi, non de sapientia, quæ est Filius Dei, sed
de sapientia creata, quam Deus indidit
creaturis. Dicitur enim Eccl. 1. Ipse crea-
uit eam, scilicet sapientiam, in Spiritu san-
cto, & effudit illam super omnia opera sua.
Neque est inconueniens, quod in vno con-
textu loquutionis loquatur Scriptura de
sapientia genita & creata, quia sapientia
creata est participatio quædam sapientiæ in-
creatæ. Vel potest referri ad naturam creatam
assumptam à Filio, ut sit sensus: Ab initio &
ante secula creata sum, id est, præuisa sum.
creaturæ vniti. Vel per hoc quod sapien-

*Lib. 15. de
Trin. cap. 15.
in fin. 10. 30.*

tria creata genita nuncupatur: modus diuinæ generationis nobis insinuat. In generatione enim quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est. In creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus & genitus, ut ex creatione accipiat immutabilitas Patris, & ex generatione unitas naturæ in Patre & Filio. Et sic exponitur intellectus huius Scripturæ ab Hilario lib. de Synodis. Autoritates autem inducæ non loquuntur de Spiritu sancto, sed de spiritu creato: qui quandoque dicitur ventus, quandoque aër, quandoque status hominis, quandoque etiam anima, vel quæcunque substantia inuisibilis.

lib. de Synodis, 2. folio
post lib. princ.

Conclusio Articuli.

CONCLUSIO est, Filius est de substantia Patris. Est autem definita in Conc. Tolet. 3. & 4. & 11, in confessione fidei. Eam tradit Aug. 15. de Trin. cap. 19. & 3. contra Maximinum, cap. 14. & Fulgent. lib. de fide ad Petrum, cap. 2. Magister in 1. d. 5. & Scholastici omnes ibid. Quomodo vero particula de, intelligatur, inter eos non satis certum est, de quo disceptat. seq. tractabitur.

Conc. Tol. 3.
& 4. & 11.
Aug. 15.
Fulgentius.

DISPUT. CLXII.

Quid significet particula, *De*, cum dicitur Filius de substantia Patris.

Particulam, *de*, non significare principium materiale, contra Henricum & Durandum probatur, cap. 1.

Particula, *de*, in prædicta locutione significat principium consubstantiale, cap. 2.

Formalis terminus processionis est essentia diuina, totus vero terminus est persona, cap. 3.

CAPVT I.

Particulam, *de*, non significare principium materiale contra Henricum & Durandum probatur.

Henricus.

HENRICUS in Summa, art. 5. q. 3. vt, refertur a Scotto, & a Capreolo locis infra allegandis, putant particulam, *de*, cum dicimus, Filius est de substantia Patris, significare principium quasi materiale seclusa omni imperfectione materiæ, sicut dicimus, cultellum esse de ferro. Concordat Durandus in 1. d. 5. q. 2. imo videtur conuenire S. Tho. ead. dist. q. 2. art. 1. vt fatetur Capr. Caietanus tamen hic Doctorem S. aliter interpretatur, quia solum dicitur, in essentia diuina esse aliquam proprietatem materiæ, id quod e. 3. examinabitur: at non dicitur, particulam, *de*, principium materiale significare.

Durandus.
D. Thomas.
Caiet.
Capreol.

Prima ratio
Durandi.

Probat Durand. primo, quia illud quod præcedit aliquo modo generationem alicuius, & permanet in re genita, si de illo dicatur res esse, aut fieri, se habet vt materia illius: essentia autem diuina præcedit generationem Filij secundum rationem, & manet in Filio, & de illa dicitur Filius esse; ergo se habet vt principium materiale. Secundo, quoties aliquid constituitur ex duobus, alterum se habet vt materia, alterum vt forma, quia alterum altero determinatur: determinari autem proprium est materiæ, sicut determinari proprium est formæ: atqui persona Filij ex duobus constituitur, nempe ex essentia, & relatione; ergo, cum essentia diuina

Secunda ratio.

fit veluti subiectum relationis, & ab ea determinatur, potius se habebit vt materia. Tercio, illud se habet vt materia in generatione, quod recipit formam geniti, sed essentia diuina recipit relationem, quæ est forma geniti: ergo se habet vt materia. Sunt tamen conditiones materiæ (inquit Durand.) quæ essentie diuine non conueniunt, esse nimirum puram potentiam, reduci in actum per formam absolutam, posse amittere vnam formam, et aliam acquirat. Existimat enim ille, in cælis non esse materiam, sed cælos esse corpora simplicissima; quia cum in illis non sit, quod possit vnam formam amittere, & aliam recipere, putat, in eis non esse materiam.

Ceterum multo verior est sententia communis Scholasticorum, quæ affirmat, particulam, *de*, non denotare principium quasi materiale, neque essentiam diuinam habere rationem aliquam materiæ, ob quam dicatur Filius esse de substantia Patris. Ita docuit S. Tho. in hoc art. 1. conclus. 4. Scotus q. 2. Durandus ar. 1. q. 2. Gab. q. 2. a. 2. Greg. q. 2. a. 1. Marfilus in 1. d. 5. ad octauam rationem, Probat Caiet. ratione de lapsu ex Scoto: nã commune est tam forme, quæ materia, esse, id, de quo aliquid esse, aut fieri dicitur, si forma generationis præcedat: idcirco in resurrectione homo dicitur fieri de anima, idque factum est: non dicitur fieri de nihilo: ex eo ergo, quod dicitur de Filius esse aut generari de essentia Patris, non cessario donatur principium materiale. Deinde probat Scotus, quia terminus formalis generationis Filij est essentia Patris: ergo Filius non dicitur esse & generari de essentia Patris, tanquam de materia: esse autem essentiam terminum formalem capit. 3. probandum est. Ex his facile soluitur primum argumentum Durandi; secundum autem, & tertium cap. 3. diluuntur.

CAPVT II.

Particula, *De*, in prædicta locutione significat principium consubstantiale.

AUGUSTINUS lib. de nat. boni, contra Manicheum, cap. 20. notat particulam, *ex*, & *de*, significare rationem principij, sed diuerso modo: nã de significat principium consubstantiale, eiusdem nature, at ex de notat principium qualecunque: quocirca omnes creaturæ dicuntur esse ex Deo, sed non de Deo. Doctrinam hanc ex Aug. delinquerunt Scholastici Theologi locis allegatis. Ceterum Driedo lib. 3. de regulis & dogmatibus Scripturæ s. prope finem, vbi exponit hanc doctrinam, hanc regulam Aug. non probat: colligit enim oppositum ex Scriptura, nam Marth. 1. dicitur, Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto, & in simbolo Christus dicitur natus de Spiritu sancto: intelligitur autem vtrique Christus secundum humanam naturam: quare & creaturæ de Deo dici poterunt, sicut ex Deo. Nulliominus quamuis id, quod Driedo asserit de particulis, negari non possit; tamen propter vocem illam, *rationis*, eo modo loquendi, Filius est de substantia Patris, eo modo loquendi, Filius est de substantia Patris, denotatur quædam consubstantialis cum principio, & Patre filius, vt paulo post explicabitur.

Scholastici varie exponunt prædictam propositionem, etiam si concedatur ea denotare generationem vnius ab alio. Sanctus Thomas in solutionem secundi sic interpretatur, vt particula, *de*, significet principium quasi formale, quia Filius habet substantiam Patris, quæ est quasi principium